



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXIX. Gregorii Papae I. Ad Ianvarivm Episcopvm Calaritanvm. De  
episcopo ordinando in eo loco vbi pridem extiterat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

animalia uiuant, Deum verum nesciant, ligna autem & lapides adorent; in eo ipso quod Deum verum colis, quantum omnes antecedas, ostendis. Sed fidem, quam percepisti etiam bonis actibus & verbis exequi debes, & Christo, cui credis, offerre quod præuales; vt ad eum quoscumque potueris adducas, eosque baptizari facias, & æternam vitam deligere admoneas. Quod si fortasse ipse agere non potes, quia ad aliud occuparis, salutans peto, vt hominibus nostris, quos illuc transmisiimus, fratri scilicet & coepiscopo meo Felici, filioque meo Cyriaco seruo Dei solatiari in omnibus debeas, vt dum eorum labores adiuuas, deuotionem tuam omnipotenti Domino ostendas, & ipse tibi in bonis actibus adiutor sit, cuius tu in bono opere famulus solatiaris. Benedictionem vero sancti Petri apostoli per eos vobis transmisiimus, quam peto vt debeatis benigne suscipere.

*Mense Iunio, indictione duodecima.*

EPISTOLA XXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD CANDIDVM DEFENSOREM.

Vt Albino luminibus priuato singulis annis duo tremisses præbeat.

*Gregorius Candido defensori.*

Ioan. diac.  
lib. 2. c. 55.

**N**CESSITATEM patientibus pontificale conuenit adesse subsidium. Pro quare experientia tua præsentia auctoritate præcipimus, quatenus Albino priuato luminibus, filio quondam Martini coloni, singulis annis duo tremisses sine aliqua dilatione præstare non desinat, non dubitatura suis hoc sine dubio rationibus imputari.

EPISTOLA XXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.

De episcopo ordinando in eo loco vbi pridem extiterat.

*Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.*

**P**ERVENIT ad nos, in loco qui intra prouinciã Sardiniam situs est, & dicitur Phasiana, consuetudinem fuisse epi-



scopum ordinandi, sed hanc pro rerum necessitate longis aboleuisse temporibus. Quia autem nunc sacerdotum indigentia quosdam illic paganos remanere cognouimus, & ferino degentes modo, Dei cultum penitus ignorare; hortamur fraternitatem tuam, vt illic secundum pristinum modum ordinare festinet antistitem, talem videlicet, qui ad hoc opus moribus ac verbo existat idoneus, & oberrantes ad gregem dominicum pastorali studeat æmulatione deducere, quatenus eo illic ad animarum vacante compendium, nec vos inueniamini superflua poposcisse, nec olim destructa frustra nos reformasse pœniteat.

EPISTOLA XXX.

GREGORII PAPÆ I.

AD CONSTANTINAM AVGVSTAM.

Ne reliquiæ sanctorum iuxta veterem ecclesiæ Romanæ consuetudinem ex suis locis extrahantur. Item de apostolorum Petri & Pauli, & sancti Laurentii miraculis quæ circa illorum corpora contigerunt. Et de monachis Græcis mortuorum ossa effodientibus. Et de sancti Pauli catenis.

*Gregorius \* Constantiæ Augustæ.*

\* al. Constantina

SERENITAS vestra pietatis, religionis studio, & sancti-  
 stas amore conspicua, propter eam quæ in honorem  
 sancti Pauli apostoli in palatio ædificatur ecclesiam, caput  
 eiusdem sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius, suis  
 ad se iussionibus a me præcipit debere transmitti. Et dum  
 illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obe-  
 dientiam exhibens, vestram erga me amplius potuisssem  
 gratiam prouocare, maior me mœstitia tenuit quod illa  
 præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpo-  
 ra sanctorum Petri & Pauli apostolorum, tantis in eccle-  
 siis suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad  
 orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique  
 dum beatæ recordationis decessor meus, quia argen-  
 tum, quod supra sacratissimum corpus beati Petri aposto-  
 li erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pe-  
 dum spatium mutare voluit, signum ei non parui terroris  
 apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum

Ioan. diac.  
lib. 3. c. 55.

Concil. Tom. 13.

A a a ij